



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XII. Objicitur non agi de Patriarchico jure in canone Nicæno, ex jure ordinationum; quod Episcopo Alexandrino competit per Ægyptum; quale Romano Pontifici non competebat, nisi in Metropoli Romana. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

roties laudatur. Aderant præterea in hoc latere Palæstini Episcopi, quos ab Orientali Diœcesi distractos Episcopus Hierosolymorum sibi asserebat. Ceterum Thracica Diœcesis jam tum à Constantinopolitano Episcopo pendebat, depulso Heracleensi. Quod per consequentiam è privilegio Primatus in ea Diœcesi facile invaluit, ad cuius synodum Constantinopolitana Ecclesia pertinebat. Quod in fraudem impulit Socratem, cum jura communionis per Thraciam Nectario tributa fuisse scripsit. Huc alludit epistola Marciani Imperatoris; qua præcipit Anatolio, ut accedat ad Concilium Chalcedonense unâ cum Episcopis sub sacerdotij sui cura constitutis, id est, cum Episcopis Thraciæ Diœceseos, quod ideo monui, ut ab inquisitione horum Episcoporum viri eruditi cessarent.

Idem sessionum ordo in superioribus Conciliis obtinuerat. Etenim in Synodo Ephesina, cui præfuit Cyrillus, post Iuvenalem Hierosolymorum sedent Memnon Ephesi, Flavianus Philipporum vicarius Ruffi Theſſalonicensis Episcopi, Firmus Cæsareæ Cappadociæ, & Theodotus An-cyræ. quamvis alibi, per errorem scriptoris, Theodotus antecedit. sed sententiæ latae contra Nestorium post Firmum subscripsit. In Ephesino Concilio sub Dioscoro, post priores Patriarchas sedent, & censent, Stephanus Ephesi, & Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ. Quare videtur dubitandum non esse quin Diœcesionem Exarchi canone 11. CP. commemorati Episcopos Ephesi, Cæsareæ, & CP. adjecto Heracleensi, complectantur. Id ex eo valde juvatur, quod in Concilio Chalcedonensi Iudices unicuique Diœcesi Orientalis Imperij suum Patriarcham assignant. Non eo tamen inficias quin potiori jure in Diœceses suas tres illi eximij Patriarchæ uterentur; ita ut sola synodorum universa Diœceseos indictio, & Concilij *ægedela*, Exarchis ceteris competitivisse videatur. Quæ ratio componendæ contentions quæ viros eruditissimos etiam in hoc capite colliſit, non aliena à vero mihi esse videtur; atque adeo novis quibusdam argumentis hanc disputationem illustrandam censui. Ceterum transcripto Heracleensis Episcopi jure in Constantinopolitanum, duo reliqui Exarchi ab auctoritate sua dejecti sunt, cum sedes Constantinopolitana in Patriarchicam dignitatem evecta, trium istarum Diœcesionum administrationem liberam decreto Concilij Chalcedonensis obtinuit. Quæ immutatio effecit ut Orientales Ecclesiæ, quæ per quinque Diœceses porre-

ctæ erant, Ægypti, Orientis, Ponticæ, Asiæ, & Thraciæ, ad tres redactæ fuerint, scilicet Ægypti, Orientis, & Bosphori seu Thraciæ, id est, Constantinopoleos, apud Theodoretum, qui post Concilium Chalcedonense historiam scripsit.

XII. Sed ut repetam quæstionem initio propositam, non dissimulanda est insignis difficultas, quæ nostram sententiam videtur impugnare, in eo quod tres illos præcipuos Orbis Episcopos, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ, quoad jus Patriarchicum inter se componi canone Nicæno contendit. Nodus in eo versatur, quod Alexandrini Episcopi auctoritas in ordinandis omnibus Ægypti Episcopis adversus Metletianos hoc canone constituta sit; ut faterentur omnes eruditi, & egregiè probatur ex epistola synodica Concilij. Porro jure illo ordinandorum Episcoporum usum non fuisse Romanum Pontificem per omnes Occidentis provincias adeo certum est ut nec ipsorum Metropolitanarum ordinationem in plerisque provinciis sibi vindicaret. Ut explicatior sit hujus quæstionis enodatio, constituendi prius sunt Romanæ metropoleos fines. Neque enim existimo Ruffini ætate regionibus illis suburbicariis ad centesimum usque lapidem fuisse circumscriptos. Verat namque Notitia illa Vaticana vetus, quæ sexaginta novem episcopatus, ex quibus Romana provincia conflata erat, nobis exhibet; qui quidem non solum Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem ad Sinuessam, Marfos seu Valerianam, Picenum, & Tusciam suburbicariam complectebantur, sed etiam Tusciam annonariam, Vmbriam, & Picenum annonarium; quas regiones Notitia illa vetus, barbara voce Marchiam Vmbriæ indiget, Marchiæ nomine utrumque Picenum comprehendendo. Fundus hujus meæ sententiæ est insignis locus epistolæ synodicæ Concilij Sardicensis, & alter Athanasij, ubi earum provinciarum Episcopi, qui Athanasio communicabant, recensentur, scilicet Romæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, & ceterarum per Occidentem & Orientem provinciarum. Non poterant liquidius Romanæ provinciæ limites circumſcribi, qui ei à Vaticana Notitia tribuuntur. Italia hinc eam coërcet, inde Campania felix, & Capuana. Porro Italia, cujus metropolis erat civitas Mediolani, complectebatur eas provincias quæ Vicario Italiæ parebant, & porrigebantur usque ad Tusciæ annonariæ, Vmbriæ, & Piceni fines; ut docuit vir eruditissimus Pater Sirmondus. Campania verò, cujus metropolis

Theod. lib. 1. c. 14. Episcopi Occidentem non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communicare volebantur.

Vide lib. 6. cap. 4. §. 6.

Exstat apud Card. Baron. an. 1037.

Athanas. ep. ad Solitar. vii. ager. tot.

Part. 1. Conc. Chalced. c. 37. 016. *ἐκ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν τῷ αἰγυπτῷ καὶ ἐν ὀριάντι καὶ ἐν βοσφῶνι καὶ ἐν θρακίᾳ.*

Syn. Ephes. T. 1. c. 1. editionis Patrum T. 1. c. 1. T. 1. c. 10. & 11.

Concil. Chalced. Act. 10.

Locus laudatus est §. 5. hujus capituli.

erat Capua, incipiebat à Sinuella ad Salariam Lucaniae fluvium. His autem finibus eae regiones ferè interceptiuntur, quibus provincia Romana constat in Notitia veteri Vaticana, cujus fides ex his Athanasij & Concilij Sardicenis locis egregiè illustratur.

CAPVT IV. Synopsis.

I. Ut satisfiat objectioni, docetur Romanum Pontificem esse Patriarcham Occidentis, deinde conferuntur cum Alexandrino in ordinationibus. Ecclesiarum divisio in Orientales & Occidentales probatur plurimis testimoniis veterum.

II. Error eorum notatus qui Orientales Ecclesias ab Antiocheno Patriarchatu non distinguunt. Cui Oriens specialiter dictus tribuitur, è Concilio secundo, & Ephesino.

III. Fines Ecclesiarum Orientalium & Occidentalium, iidem qui olim Imperij. Thracia Orienti accensa. Solidum Illyricum Occidenti.

IV. Antiqua divisio Imperij sub Diocletiano, Constantino, & Valentiniano. In confinis Illyrici & Thraciae, Ecclesiarum & Imperij limes; scilicet in Succorum angustiis, ex Ammiano, & Socrate, & ex Concilio Aquilejensi: ubi dictio Succorum restituitur. Constantinopolis vinculum Orientis & Occidentis, apud Nazianzenum.

V. Tomus Occidentalium in Concilio CP. explicatus. Asserta vetus lectio vsq; Duranum.

SVPEREST ut jugulum caussa petamus, & ut difficultati propositae satisfiat, duorum capitum probationi, quibus tota disputatio conficitur, nos accingamus. Quorum primum in eo versabitur, ut doceat Patriarchatum Occidentis à veteribus tributum fuisse Episcopo Romano: Alterum verò, quod fortasse à nullo tentatum fuit, componet Alexandrinum Episcopum cum Romano, in potissimo illo jure Patriarchico quod ordinationes Episcoporum respicit.

Quod attinet ad primam illam partem, nullo negotio veritas ejus instruetur, si testimoniis veterum rectè expensis ostendamus totius Ecclesiae corpus statim à Concilio Niceno in Orientales & Occidentales Ecclesias fuisse distributum, & Occidentalibus Ecclesiis nullum alium praefectum fuisse praeter Romanum Pontificem. Eminent illa hereditatis Christi in duas partes divisio temporibus Constantij Imperatoris; ita tamen ut altius, id est, à veteri consuetudine Ecclesiae, hujus divisionis origo repetatur ab Episcopis Orientalibus Synodi Sardicenis, quorum sunt haec verba:

Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiae, ne in Concilio

Orientalibus Episcopis quod forte statuissem, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur. In eam sententiam Constantius Princeps rescripsit ad Concilium Ariminense, quod Episcopis è toto Occidente accitis constabat; Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum quae ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis. Non inquiri an justa sit Orientalium expositulatio, aut quod Constantius rescripto vetuit Occidentali Concilio, scilicet ne de rebus Orientalibus pronuntiaret; (qua de re dissertationem satis copiosam, si res usui futura sit, in publicum fortasse emitteremus) sed id tantum pertendo, eam fuisse illis, imò & superioribus temporibus, Ecclesiae disciplinam, ut Occidentales Ecclesiae in unum veluti corpus compactae, ab Orientalibus discernerentur. Et ne quis excipiat me testimoniis schismaticorum uti, laudabo ipsum Ambrosium & Aquileiense Concilium ex Episcopis Occidentalibus constat, qui Aquileiam convenerant Imperatorum jussu. Querebatur Palladius Episcopus, Arrianæ haereseos reus, se nisi generali & pleno Concilio respondere non posse, nempe absentibus sacerdotibus Orientis, ad quos Praefectus Italiae literas dederat, ut si vellent convenire, in potestate haberent. Excipit Ambrosius: Quia scierunt consuetudinem hujusmodi ut in Oriente Orientale esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non esse veniendum. In ipsis etiam veterum Romanorum Pontificum Liberij, Damasi, Siricij, Innocentij, & Celestini epistolis, Occidentis Episcopi ab Episcopis Orientis sunt discreti. Haec divisio Gregorio Nazianzeno, ob simultates quae tunc temporis apud Episcopos vigeabant, adeo inauspicata visa est, ut Orientem & Occidentem, quemadmodum finibus & Imperiorum limitibus, ita etiam animis distractum iri pertimesceret. Invaluit tamen quotidiano Ecclesiarum usu illa discretio; ita ut Philippus Celestini Pontificis Legatus in Concilio Ephesino professus fuerit eam synodum constatam esse ex Episcopis Ecclesiae Orientalis & Occidentalis. Nihilque frequentius apud antiquos ecclesiasticos scriptores hoc Ecclesiarum discrimine inter legendum occurrit.

II. Vnum tamen est quod antiquitatis ecclesiasticae amantem hac in parte monitum velim; ne inconsulto in eum errorem incidat, in quem viri docti impegerunt, cum variis Orientis significationibus

Concil. Aquilejense sub Ambrosio.

Celestinus in ep. ad Nestor. Pelagianos resu unita sententia Orientis Occidentisque percipit. Liberius ep. ad Episcopos Orientis ad sanam firmiterque manentem reverentiam cum Orthodoxis Occidentem Episcopis concordare. Damascus in ep. Syn. apud Theod. l. 2. c. 22. De hac ipsa fide cum Episcopis Orientis, sicut Occidentis, potissimum sua gloriari confitetur. Siricius in eo ad Him. c. 1. Quod etiam totum Orientem Occidentisque comprehendit. Innoc. in Decr. c. 51. Nos autem omnique per Orientales & Occidentales Ecclesias. Greg. in ep. ad Rom. c. 10. Quod etiam totum Orientem Occidentisque comprehendit. Concil. Ephes. part. 2. Act. 5. ad Episcopos Orientis & Occidentales.

Epistola Synodica Concilij Sardic. Orient. in Fragmentis II. l. 101.

alibi e. 14. cap. 10. ubi dicitur in ep. ad Rom. c. 10. ubi dicitur in ep. ad Rom. c. 10.

lib. 4. cap. 6.

apud Cael. l. 2. c. 107.

inf. ep. ad Rom. 101.